
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

32,-5.
8° (LN bis 65)
ex. 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

NAVIGATIO-
NIS MARIS ARCTOI, ID
eſt, Balthici, & ſinus Co-
dani, deſcriptio.

PER NICOLAVM VVIM-
MANNVM.

BASILEAE.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

REVERENDO ATQVE CLARISSIMO VIRO, DOmino Alexandro à Cicignou, Abbati commendatario in Vueiller Bettnach, I. V. Doctori, ac Illuſtriſſ. ducis Lotharingiæ Conſiliario, Nicolaus Vuimmannus S. P. D.

HUmaniſsimè fecit, ac literis noſtris nō indignū, D. Ioannes Stratius, quòd iamiam abiturus, tam familiariter tuæ Amplitudini me cōmendare voluerit, Vir clariſsime: quod quidem officij genus, naturali quodam ſed ſubruſtico pudore abſterritus, etſi ab eo viro, cuius mihi beneuolentiam aliquot modò cōgreſſibus, nullis officijs meis intercedentibus, conciliaueram, petere nō auſus fuiſſem: tamen quoniā vltrò, quod ſe decuit, præſtitit, accidit mihi quidem eius in hoc genere beneficij diligentia longè iucundiſſima gratiſsimaq́. At verò multò gratior accidit, quòd antea pro ſua facundia, ore planè ro-

tundo

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

tundo, tuas virtutes, ſingularem humanitatem atq; eruditionẽ mihi deprædicaſſet: ac prorſum me ille ab ore ſuo ſuſpenderat, cùm multa de generis nobilitate, deq; clariſsimo patre tuo, eiusq; dignitate atq; autoritate apud ſummos Principes, de præclaris item erga rempub. meritis, atq; heroicis facinoribus, multa mihi retuliſſet. Cuius quidem viri iudicium atq; pietatem, & in ea re potiſsimũ, laudandã atq; magnifaciendam eſſe cenſeo, quòd te filiũ maturè ad animi capeſſendum cultum, ad præclariſsimarũ rerũ captandam cognitionẽ, deniq; ad linguæ parandam facultatem, ad florentiſsimas nunc Galliæ, nunc Italiæ Academias ablegare voluerit. Ex quibus quidem ea nimirũ animi ornamenta tui, tecũ ſubinde in patriam reportaſti, vt & pietas paterna in te optimè collocata videretur, & dignus tu haberes, qui etiamnum iuuenis, ad ſplendi-

*dam eccleſiaſticam dignitatem accipien-
dam accederes, ac fieres à cõſilijs Illuſtriſsi
mi Principis Lotharingiæ. Habebis igi-
tur tu quidem & ingenij & pietatis, cùm
in ritè curandis Cœnobij tui rebus, tum in
prophanis & aulicis negocijs ſapienter ad
miniſtrandis, exercendæ vberem mate-
riam, atq; copioſam veluti ſegetem. Atq;
hoc non eò ſcribo, vt tuæ modeſtiæ palpum
obtrudam, cùm ab aſſentationis vitio me
natura ſemper abhorruiſſe ſciam: ſed quo
niam ex Stratij ſermone iſta omnia bona
tibi ex animo gratulor, nõ poteram ad te
ſcribens hæc nõ obiter cõmemorare, vt in-
telligeres te ad res maximas natum eſſe,
eóq; non in eodem gradu conſiſtere, ſed ad
propoſitũ fortunæ adhuc ſplendidioris fa-
ſtigium ſumma animi contentione te elu
ctari debere, cùm te non lateat, quantam
expectationem omnium bonorum homi
num ſuſtineas. Ut autem prolixius &*

Deum & homines demerearis, præcla-
riſſimè fecerit tua Amplitudo, ſi, quem-
admodum etiam officij iſtius ratio exigit,
tua autoritate & beneficentia, & litera-
rum cultores, & ſtudia doctrinæ elegan-
tioris, ornes atq; prouehas: quo quidem be
ne merendi ſtudio, nominis tui ad ſeram
vſq; poſteritatē celebrem memoriā tranſ-
mittere potiſſimum poteris. Quod ad me
attinet, habebis tu quidem me poſthac &
virtutū tuarum ſedulum admiratorem,
ac præclarorū factorum candidum bucci
natorem. Porrò cùm propter Stratij no-
ſtri cōmendationem, tum propter naturæ
tuæ facilitatem, adeoq; literas noſtras, ni-
hil addubito, quin in poſterū in eo homi-
num numero Nicolaū ſis habiturus, qui-
bus optimè tu quidem conſultum eſſe cu-
pias. Ut autem extaret publicū aliquod
meæ erga tuam Amplitudinem & obſer
uantiæ & amoris teſtimonium, atq; bene

uolentiæ futuræ inter nos quaſi ſymbolũ, tibi dedicare volui marinæ meæ nauigationis qualemcunq; deſcriptionem: quod munuſculum quia ab animo proficiſcitur tui amantiſſimo obſeruantiſſimoq́;, æqui boniq́; cõſules. Scriptum eſt tumultuariũ, minusq́; fortaſſis elaboratum, ſed quod tibi abſentis mei memoriam ſubinde in animo refricare poſſit. Iamq́; viue & vale optimè, Clariſſime vir, & me mutuò ama.

Spiræ, anno M. D. L. xxiij.
menſis Aprilis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

DESCRIPTIO NA-
VIGATIONIS MARIS AR-
CTOI, ID EST, BALTHICI,
& ſinus Codani,

PER NICOLAVM VVIM-
MANNVM.

CVM igitur nauim eſſem nactus frumentariam, XIIII primũ die, relicto à tergo Dantiſco nobili emporio (quò ſcilicet diuerſæ & maris & terrarum opes importatæ, facili cõmercio miſcentur permutanturq́;) ſecundo Viſtulæ alueo ſic lentè deferimur, ac ducentas circiter onerarias naues plenis velis aduerſo flumine aſcendentes mox obuias habuimus. Hæ ex more effuſum teſtabantur gaudiũ, ſibi gratulãtes, quòd ex maris periculis tandem ereptæ, ad portum diu ſperatum iamiam eſſent appulſuræ. Tormentorum igitur tonitru, tubarum clangore, ſublato deniq; crebro celeumate, omnia circùm loca ſurda reddebãt nautæ. Tum ego ſuſpirare, ac eandem nobis breui futurã fortunam exoptare. Iamq́; perſoluto in arce vecti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

gali, vallum ſtringimus, ac ex anguſtia loci eluctati, Mundámque egreſſi (quod loci eius nomen eſt) bonis auibus cõmittimus nos mari Balthico, quem alij ſinum Codanũ nuncupare maluerunt. Nam ſiniſtrum Viſtulæ oſtium illic ſe in Oceanum exonerat. Tum puſillum progreſſi, ac numinis fauorẽ oratione & cantu precati, ſubitoq́; ſequundũ ventum nacti, in altum vela damus: iamq́; ab helciarijs funibus de ſummo malo demiſſis, ſcapha in nauim attrahitur, explicantur funes, ac cætera nauis armamenta expediuntur. Erat autem nauis Roſtokiana, vt non vaſta nimis, ita cætera probè firmata, et, ut dixi, σιταγωγὸς, tota pice intus ex more vncta: qua fit, vt naues minus ſitũ cõtrahant, & carinæ minus ſint obnoxiæ teredini, non facilè rimas agãt, ſed ferant melius ætatem, ac ad multam vetuſtatem perueniant. Quin & intus quoq́; pix liquida nauigijs allinitur penicillo: qua materia ſenſim ſeſe ſpiſſante coagmentanteq́;, omnis liquor excluditur, tabulæq́; firmiſſimè velut coaleſcũt. Obfarciunt & trabium iuncturas & aſſerum coagmenta, ſtupa, vt minus diſcuneentur. Erant & in naui noſtra, quæ quidem non prorſus erat emphracta, cõmodæ cõcamerationes & lo-

cula-

culamenta. Malus robuſtus, ex enodi & procera abiete fabrefactus. Sed deſino nauim eiusq́; ſupellectilē deſcribere, nauigationē delineare profeſſus, redeoq́; vnde in hoc diuerticulū digreſſus ſum. Cùm igitur paratis omnib. rebus, ac ferentibus ventis læti nauigare cœpiſſemus, ad dextrā quidē linquimus Neringam, terrā arenoſam, ac à flante tot perpetuos annos, vt accepimus, perpetuo Aquilone aggeſtam, Prutenicaq́; littora crebris ambagibus ſinuata. Vbi & Succinū legitur, de quo adeò nuper libellū conſcripſi ad reuerendiſſimū Archiepiſcopū & Electorē Moguntinum. Vlterius Germau eſt, vbi priſca gentis ſuperſtitione homines adhuc æneos ſerpentes, & atrum hircum nocturnis clàm congreſſibus colunt. Inde Curlandia, & longius Liuonia inter Arctum & Orientē eouſq́; excurrit, donec terris ſe incuruantibus, gremium efficitur, ipſaq́; Liuonia Suetiæ regno cōmittitur, vbi finis Balthici maris eſt. Ad ſiniſtram peninſula quædam ſe nobis offert, cui nomen Heile. Tum vaſto tractu in occiduā plagam refugientibus littoribus, Caſſubios, Pomeranos, Mechelburgēſes, inde Lubecenſes longè relinquimus: quà ſe inflectit iam terra, factoq́; ſinu prolixè in arctum abit, efficitq́; im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

menſo prominēte tergo Cherſoneſum Cimbricā. Sed reſilio. Progredientib. dextra ſe nobis offert Bornholdia Lubecenſium inſula. Inde Falſtorbodia occurrit: quo loco cùm vberrima frequentiſsimaq; ſit halecis piſcatura, cùm illac præterlegeremus, immenſam meretricum colluuiem ex omnibus circùm regionibus eò ſtatis tēporibus confluere ſolere cognoui, quæ quæſtum corporis exercentes, tota nauigiola ex eo piſcis genere onerant, ac velut opimis ſpolijs auctæ, cum marinis mercibus ad ſua quæq; loca reuertuntur. At verò ne prorſus impunè illis abire liceat, ſingulæ regi Danorum florenum pendere coguntur, egregium, per Venerem, vectigal. E regione eius loci longè emicant montes cretaceis rupibus iucundè albicantes. viſi mihi primū erant, ob ſolis radios conniuentibus oculis, ſerenæ nubes. Abhinc qua parte Balthicum ſe in fretum ſtringit, loca alibi vadoſa vndoſaq;, Coppenhagia cernitur, regia ſedes atq; metropolis regni Daniæ, ciuitas & rei bellicæ gloria, & frequentia portus, deniq; ſtudio literarum percelebris. Huic ad dextrā ſeſe opponit Nellembogia, tam fertili agro ſita, vt eius vbertate illecti multi externi homines, arma in ea loca hoſtilia intulerint. Sic medij

cùm aliquandiu Daniæ ſtrictum aramus, pru-
denter interim atq; ſolicitè fundi altitudinẽ ſcru
tantes (incolæ Sunt appellant) apparent nobis
duo oppidula, adiunctis validiſsimis arcibus ab
aduerſa parte, interfluo mari ſe inuicẽ aſpectan-
tibus. Idq́; adeò clauſtrum eſt maris Danici, quà
nemo nauibus præterierit, ſi rex obſiſtat. Tempo
re enim graſſantis belli, ex illis munimentis ita
vtrinq; tormentorũ moles eiaculantur, claſsiſq́;
procincta minaciter excubat, vt non liceat cui-
quã illac nauigia agere, quin mox crebris tranſ-
foſſa ictibus mergantur. Atq; eò loci pendendũ
vectigal, ac merces profiteri neceſſum eſt Dano
Regi. Siniſtro oppido Helſchenor, dextro Hel-
ſchemburgo barbara lingua nomen eſt. hîc pri-
die eius diei Principem Miſniæ Auguſtum, cum
vxore & ſocero Rege delicias quaſdam quæ-
ſiýſſe cognouimus. Neq; verò inde longo inter-
uallo diſsitum locum, ubi Rex Chriſtiernus com
moratur, didicimus. Hinc recepta rurſus in one
rariam ſcapha, leniterq́; adſpirante vento ena-
uigantibus, ac in latius æquor iam effuſis, relictis
freti eius paulatim velut faucibus quibuſdam,
dexter nobis Koll, niſi animus me fallit, inſula-
ris mons ſaxeus molliter ſe faſtigians adeò incre-

dibili

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

dibili altitudine in cœlũ aſſurgit, vt ex eius editiſsimis iugis longè circùm in Noruegiam, Daciam, Suetiam atq; Scotiam pateat proſpectus. Hàc nemo, qui antea eadem loca nõ nauigarit, cõmodè præteruehitur, niſi mulcta pecuniaria ludicrum quoddam ſui ſpectaculum redimat. Negantibus enim certam pecuniã, facies piceo atramento deformatur. Eſt & alicui recitanda neſcio qualis confeſsio, ac malo alligatis toleranda ſunt verbera. Huic autem legi etiam principes viros obnoxios eſſe aiebant. Cæterùm Seuo inditũ eſt nomen ei monti, qui iugis ſubinde nũc perpetuis, nunc velut interciſis, in Arctica illa regna vaſto tractu excurrit. Vnde quemadmodum Noruegia continuis ferè rupibus latè deſerta, aſpera atque inuia ſaxis eſt, ita vniuerſa penè Dacia aquis ceu canalibus interfluentibus diffinditur. Sic hæc nauigationis noſtræ pars prior. Atq; hactenus adeò ſecundis ventis vſi ſumus, vt diebus tribus, totidemq; noctibus, velifico curſu, hoc quicquid eſt itineris emenſi ſimus.

Enauigata Dacia, mutata omnino maris facie, acerrimeq; obluctantibus ventis, quod reliquum erat velificationis laborioſiſsimè vt plurimum peregimus: vt verum ſit quod ſcribunt,

cùm alibi, tum vel maximè fortunæ volubilitatem in Oceano eſſe extimendam: ac nunquam barbarũ illud elementũ maiora præſentioráq; pericula portendit, quàm cùm ſedatius iam atque tranquillius nauigãtibus inſidioſe velut adblanditur. Nam cùm ſecũdi euanuiſſent venti, Oceano paulatim ita tranquillato, vt nauis eodem penè loci prorſus conſiſteret, viſus eſt nobis cetus, pari ferè cum naui longitudine, futuræ mox ſæuiſſimæ tempeſtatis certus nuncius: ac interim delphini (ita enim eos piſces appellabant) mira ſalacitate in ſummis aquis colludebant, pinnas modò & branchias velut brachia extra vndas iactantes: non ſecus ac ſi radicitus euulſa arbor, ſecũdo feratur flumine, ramis nunc extantibus, nunc alternis ſeſe mergentibus. Hæc portenta cùm mihi expoſuiſſent nautæ, ſubijt mihi in mẽtem apologus ille de ficubus, ruſtico, atq; maris inſidioſa temperie. Mox enim vaſtum illud pelagus, ſubitò exorto Aquilone, ita miſcetur horribilibus vndis, vt quam voluptatẽ ex eius tranquillitate modò ceperamus, eam cõfeſtim in ſummam triſtitiam conuerterit rerum omnium tremendus aſpectus. Atque ea quidem grauiſſima tempeſtas, quæ, vt dixi, quinos continentes dies

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

noctesq́; furioſe debacchata eſt, cõtractis iam o-
mnibus velis, quàm feroces iſtorũ hominũ ani-
mos repreſsit? quàm docuit blaſphemos antea,
orare iam auxilium à Deo? coëgit ſupinas in cœ
lum expandere palmas, erigere oſcitantia atque
ſtertentia pectora? iamq́; alios alijs remittere in-
iurias, condonare noxas, ac offenſo noſtris errati
bus numini, peccata confiteri compulit. Tum ve
rum eſſe cõperiebam, quòd Pomponius hoc ma-
re acre appellat, id eſt, nauigantibus infeſtum, ac
crebris naufragijs penè infame. Cùm autem inſa
nis fluctibus horribili fragore immurmurantib.
vndarum impetu ita quaſſaretur infelix nauis,
obliquè eam abripiẽtibus ventis, vt planè de no
bis actum eſſe videri tum potuiſſet, mercede cõ-
ducere cogebar, qui nunc manu prehenſum de-
duceret, nunc titubantẽ reſti tranſtris alligaret,
ne ſcilicet ſubinde conciderem ſurgendi neſcius.
Poſtrema nocte cùm vis tempeſtatis furioſæ lon
gè aliò ad dextram, quàm inſtitutus nobis poſtu
labat curſus, inclementiſsimè nos abieciſſet, ap-
parent ad lunæ ſplendorem nobis infames Nor-
uegiæ ſcopuli, quos vulgò ſimilitudine quadam,
Pater noſter appellabant, ob alternantes angulo
ſorum receſſuum vices. Nam ſunt ijs locis, apud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

quæ naufragis nō facilè euadere licet, vaſtè in al-
tum proiecta promontoria, intra quæ crebri ſi-
nus longè recedunt, vndoſi atq; importuoſi ple-
runq;. Proinde cùm ita impelleremur, quocunq;
ventorū tumultuantium rabies nos rapiebat ex-
agitabatq́; (nam pelagus valde atrox & feruēs
adeò exæſtuabat, vt dixiſſes vniuerſum illud ex
imo fundo in ſpumā reſolutū eſſe) præſentē iam
inſtare interitū aiebant, monentes vt diuinæ mi-
ſericordiæ me cōmendarem. Nam niſi propitius
nos mox reſpiceret Chriſtus, mutaretq́; ventos,
fore vt poſt duas horas nauis impetu ad ſcopulos
adacta atq; alliſa, fruſtulatim cōminueretur: nos
autē mox eſcam Balenarū futuros. Tum verò il-
lud mihi occinebā poëtæ: Vna ſalus victis, nul-
lam ſperare ſalutem. Tum mihi ſubit in men-
tem, quod Imperator quidam dicere ſolitus erat:
graui ſemper pœnitudine ductum ſe, quoties ma-
ri iter feciſſet, quò pedeſtri via cōcedere licuerat.
Ac illud occurrebat fluctuanti animo, eos qui
Oceanū nauigant, iuxta philoſophi ſententiā, ni-
hil quidem à mortuis differre. Quin tacitus atq;
gemebundus mecū cogitabam græcum prouer-
biū, γυνὴ, πῦρ, θάλασσα, κακὰ τρία. acriterq́;
mecū expoſtulabā, χερσαῖος ὢν μήποτε θαλάτ-

πος γαίου. Verū hæc omnia nequicquā agitabantur in animo, cùm vnicū iam hoc refugium, & quaſi ſacra anchora reliqua eſſet, vt ſuccideren tur mali (id quod in extremis modò periculis fie ri ſolet) ac facerent iacturā nautæ. Neq; in illis locis nauigia anchoris defixis infrenare licet, exuperante maris altitudine omnē humanam induſtriam. Ibi igitur mihi diu adamatæ cultæq; Muſæ perituræ fuiſſent: etſi ſatius fuiſſet rei quàm vitæ iacturā facere, ſi ſic Deo viſum foret. Sed ecce cùm diu cæcis tēpeſtatibus miſerè iactati eſſemus, quaſi Deus preces, lachrymas & gemitus extremè iam laborantiū eſſet miſeratus, ſubitò ſeſe remittunt venti & mutantur. Haud mora, tum nauigium inflecti, expandi rurſus vela, nos verò præter omnem ſpem animū iam recolligere, gratias agere Deo, ac poſitis in ſolo genubus, polliceri vitæ emendationē noſtræ, iamq; tandē læti cœptum rurſus perſequi curſum, valedictis Noruegiæ cautibus. Porrò frequēter illis diebus funerarias ſcalas magna cum feſtinatione, feliū more, ſcandūt alij, ac de ſpecula ſummi mali longius proſpicientes, ſuperant maris cōuexa. Etſi autē multis diebus nulla adhuc appareret tellus tamen beneficio Cōpaßi, quē vulgò marinū vo-

cant,

cant, vias in medijs vndis explorant, ac à vagis
periculis ſeſe vindicant. Pyxidecula eſt vitro ob-
tecta, interius chartacea rotula volubilis, tenui
paxillo incumbens, ad virtutẽ agitantis Magne
tis (quẽ lapidem prorſus ſtupendũ, nos alibi de-
ſcripſimus) quo chalybs ſubter mediũ orbiculũ
excurrens in altera parte illitus eſt, ita ſe verſat,
vt naucleri inde & mundi duos cardines, quáq;
ſit nauis dirigenda, cognoſcant. Cæterũ ex vio-
lenta illa nauigij agitatione, auræ inſolentia, &
tetro maris odore, in eam ægritudinem famulus
meus incidit, quã marinã uocant. Hæc eſt vehe
mens nauſea, & diutina capitis vertigo: qua fit,
vt iandiu nõ liceat quicquã vel edere vel bibere,
ſed quicquid vſpiam imo ſtomacho latitat, vnà
cum felle euomere neceſſum ſit. Miraculi autẽ
inſtar reputãt, ſi cui primũ Oceanũ tentanti, im
muni ab hoc malo eſſe detur. Proinde non ſolùm
vehementer admirari fæx illa hominũ, ſed etiã
innata quadã malitia acriter indignari ſolebat,
quòd ſingulari Dei dono firmus atq; incolumis
perſiſterem. Nam arbitror atrociter illos nobi-
ſcum acturos fuiſſe, fortaſsis prædæ cupiditate il
lectos, ſi eodem malo & ipſe correptus fuiſſem:
præter nauticos enim iſtos homines, me & famu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

lum, nemo in ea naui erat. Cæterũ ad hũc modũ
exinanito ſtomacho, ac corpore exhauſto, redit
tandẽ appetitus edendi, atq; ingens eſuries et vo
racitas ſequitur, donec rurſus priſtinæ cõfirmen
tur vires, ac ſtomachus robur ſuum collegerit. Il
lud autem memoratu dignũ accidit eo tempore,
vt intelligas quanto maris ſpacio à circũiacenti
bus vndiq; terrarũ oris eſſemus ſemoti. In va-
ſtiſsimo Oceano (cuius profunditas ſæpe omnẽ
funiculi, cui bolis annexa hæret, lõgitudinẽ exu-
perabat) cùm in medio pelago ſic volatici flu-
ctuaremus, accidit vt niſus ventorũ violentia
et errore eò locorũ vſq; delatus eſſet, vt quoquo
verſum tenderet, reditum ad littora deſperaret.
Diutina igitur cùm inedia cõfectus, tum longo
defeſſus volatu, vt pluſculum tamen vitæ ſibi lu
crifaceret redimeretq;, infelix ſummo inſedit
malo, ac interea, miſerè exagitante ventris ra-
bie, vndiq; prædam captat, conſpectisq; in naui
auiculis, celeri lapſu ſe præcipitem dedit: verùm
prehenſa vnguibus vtraq; cauea, fruſtratus rur-
ſus auolans, vix ægrũ corpuſculũ in ſublime tra
xit. At ſequenti nocte intempeſta, cùm fortè in
proram per foramen ſeſe immiſiſſet, prodente lu
na captus eſt, ac deinde auida vorandi ingluuie

velut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

velut ſuffocatus perijt. Quin & columbæ & hirundines eodem caſu huc delatæ, vt paululũ in malis acquieuiſſent, mox in nauim decidêre exanimatæ: vt intelligamus, miſerrimũ quiddã eſſe fame perire. Verùm vt redeam vnde excidi, ad dextrã longè iam Noruegiam, deinde Scotiam, ad ſiniſtrã verò Onholdiam, Schagiã, & Vlandiam, loca infeſta nauigijs, linquimus. Atq; hactenus immani velut brachio ſe extendit Cherſoneſus Cimbrica: & quemadmodum perpetuo tractu in ſinum Codanũ excurrens vaſtè prominet, ita ſe rurſus retrahit, ac vniuerſa penè ab Oceano ambitur. Illud autẽ ſcitum eſt, quòd nautæ demiſſa ſubinde in profundũ bolide, cùm nuſpiam in proſpectu terra nobis redderetur, certo argumento deprehendebant, ad quã regionẽ propius eſſemus delapſi, inhærente vnctæ ſeuo bolidi terra, ex cuius colore maritimorũ locorũ notionem captabant iſti: ſicq; edocti, certius & ſecurius inſtituere & mutare curſum nouerant. Iamq; adeò ad leuam paulatim obliquandũ erat nauigiũ Hollandiã verſus, quò nobis inſtitutus erat curſus: quem quidem ipſum vel ex Liuonia, vel Boruſsia tenentibus, ingentia ſunt facienda diſpendia, tantæq; circũ vniuerſam penè Cherſo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

neſum euincẽdæ ambages, vt nauis gubernator poſtea aſſeuerare nõ dubitaret, totam pyxidecu-lam circũlegiſſe nos: quod ijs accidit nimirũ, qui quo loco olim bimaris illa Corinthus fuit, à ſiniſtro Iſthmi latere, circũnauigata Pelopõneſo, ad dextrã eiuſdem partẽ contenderent. Nam intra Lubecam & Hamburgũ nõ ita ingens ſpacium interiacet. Sed ea foſſa (Græci ferè τὰς διώρυγας nominant) quæ induſtria hominum facta eſt, nõ admittit grandiora nauigia, & onerarijs nauibus ſubuehẽdis impar eſt. Verũ ad inſtitutũ. Tria quidem in ea Oceani parte animaduertebã. Et maris aquam eſſe acrioris iam ſalſedinis quàm in oriẽtali Oceano. Vnde cùm pridie vela eſſent ex more ea aqua aſperſa, vt minus tranſmitterent auram, coquente deinde ſole, & ſiccatis rurſus carbaſis, farinæ inſtar in nauis tabulatũ rorans decideret ſalſuginea aſpergo. Suſtuli ego hiſce manibus tenues ſalis micas, ac ori admotis, materiæ eius efficaciam probaui. Deinde, ob immenſam æquoris vaſtitatem, procellas, etſi mole & cumulo aquarum ſuperent, tamen nauigijs eſſe minus periculoſas, quòd lentius ſe ſinuent, magnorum ſerpentũ inſtar, ac laxiori intercapedine inuicẽ ſequentes, tollant ſe ſenſim in altũ, velut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

lut nauibus onerarijs ſeſe accōmodantes magis, quàm alibi fit, vbi fluctus marini ſtrictius ſic feruntur alij ab alijs, vt maius negocium faceſſant nauigantib. Sunt enim procellæ maris nihil ferè aliud nauigijs, quàm itinerũ terreſtriũ frequentes ſalebræ vehiculis. Poſtremò iam, Euripũ in occiduo mari magna vi vltro citroq́; ſtatis horis rapi, occulta quadam naturæ ratione alternantibus atq; recidiuè labentibus vndis. Neq; autem ſimplicia pericula à tempeſtatibus nobis timẽda erant, ſed etiam à Scoto ingens nobis metus impendebat. Nam cùm hic Cæſaris deuotus iam ſit hoſtis, excurrit in Oceanũ, piraticam exercens, ac eas inſidioſe etiam intercipiens naues, quæ aliunde in Cæſaris regiones frumenta aliasq́; merces importare parant. Ac nõ ſecus accidit ijs, qui in Scotiam nauigantes, in Hollandos vicinosq́; imprudentes incidunt: quod adeò, quemadmodum poſtea referam, his oculis mox cõſpexi. At verò atrocius agitur cum Scoto & Hollando, ſi in hoſtiles manus alterutrius inciderit. Nam nõ ſolùm naues captiuæ abducuntur, ac omnia diripiuntur, verũ poſt partam victoriam, quotquot capti ſunt, capite mox plectuntur, ac trunca cadauera in Oceanum eijciuntur. Alijs donatur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

plerunq; vita. Contra huiuſmodi autē pericula
vt ſint tutiores homines, ac hoſtiles aſſultus for-
tius propulſare valeant, iungunt ſe ſociæ aliquot
naues, ictoq́; fœdere religionē ineunt, ac mutuæ
propugnationis ſacramento ſeſe obſtringunt, cō-
munem ex æquo omnibus futuram fortunā: fal
lentibus fidem, & merces & vita deinde, ſi cō-
prehendātur, eripitur. In huiuſmodi vnita claſ-
ſe vna nauis, quæ & fortitudine & magnitudi-
ne cæteris præſtat, armatis hominibus et tormen
tis accuratè inſtruitur: hanc tanquā ducem &
propugnatricem reliquæ ordine ſequūtur: ac ne
obſcuris noctibus, fallentibus tenebris, mari po-
tiſsimū à magnis æſtibus concitato, longius aber
rent auulſæ, pyra in ſtrategidis puppi incēditur,
quæ & latè circùm prodat nocturnas inſidias,
& iter monſtret ſocijs: atq; hanc præcipuam na-
uim vocant barbaro vocabulo Amiral, quā ca-
taphractam ſiue prætoriā appellare licet purius
loquentibus. Eiuſmodi claſſem cum fortè in Da
ciæ freto reperiſſemus, vbi, vt dixi, naues profi-
tentur merces, cupiebamus enixè quidē & nos
quoq; illi aggregare, ac, vt ſecurius iter in poſte
rum nobis ſterneretur, eundem tenere ponè cur
ſum deſiderabamus. Verùm cùm poſtero die ne-

ſcio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

ſcio quo pacto lentius naui noſtra ſecante fluctus, longius paulatim à tergo relinqueremur, inuiti ſperato excidimus præſidio. Sic igitur deinde deſtitutos omnes terrebant auræ, omnes in cōſpectu naues animos noſtros percellebāt metu, opinantium, vt fit, eas hoſtiles atq; piraticas eſſe. Illam verò in ſummis maris periculis admirari ſolebam in nautis induſtriam, quòd vtcunque ſæuiret tempeſtas, cōmodè tamen flectendis intorquendisq; velis, quæ quaterna in noſtra naui erant, ſolicitè cauebant, ne violentius retrò, vnde veneramus, repelleremur: néue ſcilicet, quantum itineris progreſſi iam lucrifeceramus, tantum eadem remetiendo veſtigia rurſus perderemus. Proinde nunc huc nunc illuc conuerſis velis, obliquè in latera velut expatiantes, nauim à ventorum turbinibus ſic impelli patiebantur. Eam autem nauigij inflexionem moderationemq;, vocant barbarè, lauieren vnd beiligen. At ego interim incōmodè nunc aſpergebar ſalſis fluctibus, impetu ſummā nauim ſuperantib. nunc ægrè in tam rapida nauis cōmotione conquieſcere, aut ad tabulam accubare poteram. Illud autem inexperto nunquam credi potuiſſet, quòd eodem tempore, ſed diuerſa velorum mo-

deratione, naues contrarium tenentes curſum,
vnius venti impulſu, verùm alteræ tardius ob
incōmodam auræ obliquitatem, alteræ verò ple
nis velis incitatius eant. Eſt enim ea induſtria
& ingenium eorum qui nauiculariam faciunt,
vt nullam quantumuis exiguam promouendi
nauigij occaſionem ſibi excidere patiantur oſci
tantibus: adeò ingenioſos atque ſolertes reddit
mortales dulcis lucri cupiditas, ac vitandi peri-
culi gnara quædam atq; ſedula ſagacitas. Sic igi-
tur cùm inter vtranq; fortunā vtcunq; diu elu-
ctaremur, ſiniſtra nobis præterlegenda erat Fli-
landia. Hîc nobis eminus viſæ ſunt prope littus
duæ naues. Nos primū nihil morari: ſed cùm ſub
latis anchoris inde ſoluere, ac quæ minor erat re-
cto nos & concitato curſu inſequi cœpiſſet, pe-
nè lentius ſubremigante maiori naui, variæ no-
ſtrorum hominū opiniones oriebantur: nam ſi-
gna nōdum probè cuiquam diſcerni quiuerant.
Porrò qui cordatior erat, magisq; nauticarū re-
rum, & naturæ eorum locorū gnarus, iuſſit me
lius ſperare nos: inſuetum enim eſſe, vt cuiquā
Scoti inſidiæ in iſtis quidem cōfinijs eſſent timen
dæ. Variè igitur fluctuātibus animis, vt fit (nam
noſtra nauis nō erat ſatis idonea ad ſuſtinendam
nauma-

naumachiam) vt propius in conſpectũ noſtrũ venit, cognita eſt piratica eſſe quidem nauis, ſed præfixa aquila Selandica. Tum depoſito rurſus metu, demirari nos eius nauis expeditam celeritatem (nam inferiora eius extrinſecus erant vncta ſeuo) transfoſſa vela, fatiſcentes ex crebris tormentorũ ictibus aſſerum rimas, ordine vtrinque conſtitutam ingentem æneorum tuborum vim, captiuos tranſtris & interſcalmijs catenis adſtrictos, victorem trucem & minacem. Porrò cùm cominus irent naues, ſalutant ſe mutuò nautæ. Tum victor pirata, ſtrategus nauis, totã rem nobis ordine exponere: Cepiſſe ſe iure bellico, poſt acrem quidem conflictum, ac cominus etiam conſertas manus, ad Noruegiæ promontoria nauim Dantiſcanam frumentariã, quòd hoſtibus Imperatoris, contra ipſius edictum, in Scotiam merces importatura, ac ibi expoſito eo onere, ſubſidia vitæ illis hominib. eſſet ſuppeditatura. Nunc igitur ſe illam ducere captiuam in Selandiam, vt potitã inter ſe partirentur prædam: vitam autem ſe donaturum captis, quòd eſſent Pruteni. Moxq́; denuò à nobis auulſa victrix myoparo ὁπλιταγωγὸς, laxatis velis mira pernicitate procurrere, deinde retorto nauigio ad ca-

ptiuam nauim excurrere, ferociter inſultare ca-
ptis, ac ludos facere infelices: quorum triſti ſorte
motus ego, nō poteram non grauiſsimè indole-
ſcere. Erat enim ſpectaculum valde miſerabile,
tantillam nauim, tam ingentem expugnare po-
tuiſſe, ac iam tanquā in triumpho captiuā illam
ducere. Si magnitudinē enim inſpectaſſes naui-
giorum, faſſurus fueras ab accipitre ſtruthioca-
melum fuiſſe captū. Sed quid nō patret armorū
ſæua vis, ac hominū iſtorum temerarij potiundæ
prædæ auſus, atq; vorax rapiendi cupiditas? Sed
perſequor inſtitutum. Poſtridie longè à ſiniſtra,
Phryſiæ obſcura littora, à dextra verò ſenſim ſe-
ſe aperiebant Hollandiæ eminentes in maris cre
pidine aggeſti arenarū tumuli: quò vbi ægrè tan
dem allapſi, ac penitius admiſsi ſumus, oras legi-
mus vtrinq;, quæ à diuite ac beato ruſtico inha-
bitantur. Ac Phryſia, vt eſt ingeniorū felicium
alumna, ita equorū cæterorūq; armentorū per-
fœcunda generatrix, ſolo læto gramine mirificè
luxuriante. Quin & Hollandia pabuli eſt fera-
ciſsima. Verumenimuero vt nihil eſt vſpiam ab
omni parte beatum, ſunt iſtæ ceu peninſulæ ita
longè in Oceanum promiſſæ, exundantis maris
alluuionibus, atq; non rarò terræmotibus obno-

xiæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

xiæ. Neq; autem multis diebus frui adhuc nobis licebat optata tellure, portuq; ſperato. Nam in eo receſſu, qui ſe longiſsimè intra terras inſinuat, multæ rurſus difficultates nobis offerebantur: ut rectè dixerit M. Cicero, Negocium magnū eſſe nauigare Oceanum: hinc enim cæca in vndis ſaxa obſtrepebant, hinc vadoſa aliàs loca negociū faceſſebant. Cùm autem vel obuius Euripus, vel obſtrepera aduerſantis venti vis annitentibus acrius obluctaretur, demiſsis ſubinde anchoris tandiu interquieſcimus, donec vel ſecundam auram, vel refluentis rurſus à tergo aquæ ſubſidium nacti eſſemus. In eo autem freto, quod ita ſe identidem anguſtat, vt oræ vtrobiq; tantum nō coituræ viderentur, etſi vaſcula, ſiue fluitantia in ſummis aquis fundo catenis alligata ſubera monerent quà eſſet velificandum, tamen ex more conducendus magno erat Pilotus quiſpiam (quem ego Pilatū vocare ſolebam) qui gnarus eorum locorum ad gubernacula interim excubaret: ſic enim ferè vocant aſcititios naucleros. Tum ſilentio religioſe indicto, ſcrutari vadorū profunditatem ac breuia, immiſſo tereti plumbo metiri ſatagebant. Ibi vidiſſes mutuos hominū niſus, anhelos concurſus, ac crebras acclamatio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

nes audiſſes. Orta autem tempeſtate, orationi tumultuariæ miſcebant horrendas peierationes, Germanorũ militum impia & blaſphema conſuetudine, quæ ita continuata paulatim in naturam abit. Cæterũ, vt dictum eſt, magna vtrinq; ſoli vbertas, crebri pagi, ac frequentes ciuitates apparent, quarũ aliæ alijs erant illuſtriores. Porrò penitius ſubeuntibus aperiebat ſe rurſum ſinus, cedenteq́; hinc atq; hinc littore, pluſculum iam ſpacij nauigijs conceditur. Influxu autem Rheni aliorumq́; amnium, maris ſalſugo paulatim miteſcit, ac color aquæ cœruleus, aliarũ rerum mixtura euaneſcit turbaturq́;. Cæterũ cùm totus ferè ille ſinus interior ſit vadoſus, nec iuſtæ altitudinis nauigijs onerarijs ferendis, inuenimus numeroſam magnarum nauium multitudinem eò confluxiſſe, ac dimidiata onera in ſcaphas exponere, vt ſic alleuatis patêret deinceps penitior ad vrbem acceſſus. Quin eodem loci videre licuit trecentas non minus naues obuias, quæ velut inſtructa acie, longoq́; agmine ad halecis capturam exibant, quæ eſt intra Angliam & Scotiam, tanquã iuxta prouerbiũ, à tranſenna cibum petituræ. Habebant denæ naues ſemper vnam armatã, quam ſequerentur, ac à qua,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

ſi vſus veniret, propugnarentur: vulgò Hering
buſſen appellant accolæ. Cùm enim cum hoſte
nauali prælio eſt decertandum, tum naues præ-
toriæ ſe coniungunt, tanquam ſuccedaneæ alie-
ni periculi, efficiũtq; procinctam atq; cataphra-
ctam claſſem. Iamq́; inſtructo militari ordine,
expeditisq́; armis atq; tormentis, hoſtiles inſidias
à ſocijs nauibus arcent, ac incitatis nauigijs pu-
gnam fortiter ineunt, æreasq́; pilas gnauiter ex-
cutiunt. Deniq; pro ſe quiſq; ſatagit vel cautè ex
cipiendis vel inferendis plagis. Habent autẽ ar-
matæ naues etiam roſtra ærata, ad concurrendũ
arietandumq́; cum hoſtibus. Nauarchus verò
dux eſt totius procinctæ claßis, eoq́; eius impe-
rio vel capitis periculo eſt ab omnibus obtempe-
randum. His itaque nauibus à tergo relictis, ac è
cõſpectu paulatim noſtro euaneſcentibus, quod
nunc magna maris tranquillitas, nunc rurſus cõ
motior vnda eſſet, biduum ibi conſumimus: atq;
hîc vidiſſes vagas atq; circumerrantes, aduer-
ſis ſæuientibus ventis, aliquot centenas naues,
quæ ita erraticæ nauiculabantur, quemadmodũ
grex ouium balantium diſcurſat, ſi turbante lu-
po, amiſſoq́; paſtore, à cupitis caulis excluſus lon
gè arceatur, præcepsq́; circumagatur. Ac ingens

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

periculum erat, ne nocturnis tenebris inhorreſcentibus, aliæ naues alias impetu ex inopinato alliderent: quod ſanè noſtræ naui penè eueniſſet, cùm fortè in puppi ſomno iacerem ſopitus. Porrò adſpirante paulò cõmodiori aura, ſuperatiſq́; multis periculis, etſi ſinus nunc in arctum ageretur, nunc ſe fuſius laxaret, inq́; varios obliquaretur flexus, exiguo tamen ore & fronte anguſta ad dextram ſubeuntes, portui tandem appropinquare incipimus. Tum verò putaſſes te in denſam, ſed interlucatã ſyluã oculos defigere tuos, obſcurantibus tot nauium malis veliſq́; tam illuſtrem aliàs vrbem. Nam ſexcentas amplius vaſtas naues (vt minores interim omittam, quarũ infinita penè multitudo in vrbis deriuatis alueis conſpiciebatur) ad portum appulſas inuenimus ex cunctis penè orbis terrarum regionibus: mirabile, per Neptunum, viſu. Atqui noſtra nauis, obſtrepente æſtu Euripi, remulco laborioſe in nauſtathmon attrahenda erat. Tum verò Chriſto gratias agebam, cuius propitio numine ſeruato mihi, ac per tot rerum diſcrimina, per frequentia vada & breuia, per alternos pelagi affluentis refluentiſq́; motus, per Scylleam rabiem atq́; infeſtas Syrtes, pernauigata vix Malea, ex tot ſæ

uiſſimis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

uiſsimis tempeſtatibus incolumi euadere licuiſ-
ſet: quod ipſum adeò magis mirum videri debet
ei, qui victus noſtri interea rationem conſidera-
ret. Nam delitiæ noſtræ quotidianæ ſalpa erant,
vt nō ſatis præmollita & tuſa, ita ex ea aqua co-
cta, quæ nihil à tetro nauteæ differebat odore.
Panis erat dipyros (marcellino nimirum buccel
latum) tanti rigoris, vt ſecuris ictu contuſus in
centum diſsiliret micas. Caro rancida, ac vermi
bus ſcatens. Ceruiſia aliàs acida, aliàs putidum
ex arenga dolium olens. Vt verbo dicam, nihil
apponebatur, quod non paulò delicatiori nau-
ſeam párere, mouereq; vomitū potuiſſet. Atqui
magno mihi hæ lautitiæ cōſtitere, maioris tamē
conſtituræ, ſi inde vel ſtomachum cruditate lan
guentem, vel febrim quartanam nactus eſſem.
Cæterùm cùm Amſtelrodami aliquot dies cōmo
rarer, velut à marinis moleſtijs pauliſper inter-
quieſcens, ſummopere mihi iſtius gentis exquiſi
ta quædam illa mūdicies arridebat: ſermonis au
tem genus adeò tumultuariū, præceps atq; muti
lum mihi homini extraneo præſertim videba-
tur, vt nutibus verius, quid velint, quàm ſigni-
ficantibus verbis, oſtendant. Tanta autem ho-
minum frequentia in ea vrbe viſa eſt, quanta an

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

tea nunquam: dicas ſic tota vel apum examina, vel formicarum agmina latè circùm in viride pratum effundi. Sed finem imponā ſcripto. Conducta deinde ſcapha Traiectū contendi in foſſa. Inde intermedium Rheni alueū petij. Porrò huic deſcriptioni iunxiſſem & Rhenanam nauigationem, niſi ea rerum cōmemoratio plus moleſtiæ, quàm voluptatis mihi atq; alijs viſa eſſet allatura: quàm enim laborioſum & tædioſum, quanto item tempore, quantisq; impendijs opus ſit, vt aduerſum Rhenum pernauiges cum ſupellectile aliqua, expertus ego ſum cum magno rerum mearum damno.

NAVIGATIONIS MARINAE FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 65 [32,-5 8°]